

80 *Ad audientiam. num. 62. de Rescript. & Garcias cit. part. 1. cap. 2. num. 218.*) tunc ea connumerantur inter Beneficia propriè dicta. Ita textus *cap. ult. de Consecrion. Præbend. in 6. ubi prælimonia apertè connumerantur inter Beneficia illis verbis: Consecriones super Canoniciatibus, Dignitatibus, Præsimoniis, & aliis quibuscunque beneficiis Ecclesiasticis.* Nam ista verba non nisi de Præsimoniis datus in titulum, atque ad perpetuum, intelligi possunt, & debent. Unde quòd hujusmodi Præsimonia, sint Beneficia propriè dicta (eò præsertim, quòd ipsi nihil deficiat ex requisitis ad beneficium Ecclesiasticum) tenet Menochius *d. lib. 2. de Arbitrar. Judic. cap. 7. quæst. 2. Garcia cit. cap. 2. num. 117.* allegans plurimos alios: addè, ut re ipsà hæc sit communis sententia. Et sub data distinctione Authores, qui primà fronte non nihil discordare videntur, facillè revocantur ad concordiam.

84 *Quæritur V. Quid, & quotuplex sit Pensio; & an veniat nomine beneficii Ecclesiastici? Resp. I. Pensio ut sic est jus percipiendi partem fructuum ex alieno Beneficio. Ita Zoësius titul. de Simonia. num. 46. & in re communis. Vel, si Pensionem pro ipsamet parte fructuum acceptam describere velis, dicendum est: Pensio est certa portio fructuum, ab aliquo beneficio, vel mensa, ex causa ad tempus, non verò in perpetuum separata. Ita Guilielmus de Monte Lauduno in *Repetit. Clement. Quia regularis, num. 12. de Supplend. negligentiæ. Prælat. Barbosa part. 3. Jur. Eccles. univ. cap. 11. num. 3.* subiungens, quòd Pensio dependeat à proprietate Beneficii, sicut usufructus dependet à proprietate rei.*

85 *Resp. II. Pensio dividitur in laicalem, & Clericalem. Ita communis. Et quidem Pensio laicalis est, quæ datur ob ministerium temporale, aut aliam temporalem causam; & Laico etiam convenire potest, v. g. Oeconomo Ecclesiæ, Cantori, Aedituo, & aliis hujusmodi. Pensio Clericalis, seu Ecclesiastica eontrà est, quæ Clericis autoritate Superioris Ecclesiastici iustis de causis constituitur, ipsique solis competere potest: atque de hac sola nunc sermo est, non de priori seu laicali.*

86 *Resp. III. Pensio Clericalis subdividitur in duas species. Una est, quæ assignatur in titulum beneficii Ecclesiastici: prout accidit, quando ex Beneficio pingui, quòd caret sufficienti suffragio Ministrorum, autoritate Superioris detrahitur certa portio fructuum, & alicui Clerico ibidem ministranti conceditur in titulum Beneficii perpetui, v. g. perpetuo Vicariæ, arg. c. Conquerente. 6. de Cleric. non resident. & notat Abbas *cit. c. Conquerente. num. 1. & 5. Fagnanus c. Ad audientiam. num. 41. de Rescript.**

87 *Nec obstat textus in c. Entirpando. 30. §. fin. de Præbend. ubi dicitur: Illud autem penitus interdictionis, ne quis in fraudem de provenibus Ecclesiæ, quæ curam habere debet proprii Sacerdotis, pensionem alicui quasi pro Beneficio conferre præsumat. Resp. enim cum Abbate: & Fagnano, ubi supra, hic solum prohiberi, ne in fraudem constituantur talis pensio: sed ubi ex causa licita & honesta, ac omni fraude cessante, constituitur pensio ad modum Beneficii ex redditibus Ecclesiæ, tunc valet talis constitutio; sique potest super uno Beneficio creari aliud, dummodo primo Rectori remaneat tantum, unde honestè sustentari valeat.*

88 *Alia Pensio, & quæ nomine Pensionis (nisi secus exprimitur) communiter intelligatur, ea est, quæ simpliciter constituitur ad tempus de fructibus Beneficii, iustaque de causa cuiusdam assi-*

gnatur autoritate Superioris. Et talis est, quæ autoritate Episcopi assignatur Parocho, ob senectutem resignanti, ad suæ vitæ sustentationem, vel quæ datur causa liti beneficiarie commenda, aut ob aliam similem causam rationabilem; de quo plura inferius *Titul. 12. Ut Ecclesiastica Beneficia &c.*

Solum præmissis adde, quòd quicumque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas Clericus percipit, is ad dicendum Officium parvum Beatæ *MARIE Virginis obligatus sit;* uti his ipsis verbis decrevit B. Pius V. in sua Constitutione 135. quæ incipit: *In proximo* (& habetur *Tom. 2. Bullarii Romani.*) Ubi idem Pontifex addidit, ejusmodi Clericum non recitans Officium parvum B. *MARIE Virg.* (intellige de Clerico Minorita; nam alius satisfaciendo recitando Breviarium) eo modo pensionem, fructum, verumque ipsarum amissioni obnoxium esse, sicuti Clericus habens Beneficium, & non recitans Breviarium.

89 *Resp. IV. Certum est, quòd quando Pensio percipiatur conferatur priori modo, sive in titulum, ea sit verum & propriè dictum beneficium Ecclesiasticum. Patet hoc ex d. c. Conquerente. 6. de Cleric. non resident. ubi talis Pensio, viginti scilicet solidorum, sæpius appellatur Beneficium, & ut tale ibidem censetur. Accedit ratio: quia tali Pensioni, utpote datæ in titulum, atque tributæ in jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis &c. integrè convenit definitio Beneficii superius data.*

Neque obstat, quòd vocetur Pensio: quia non est vis in nomine, quando constat de re. Abbas *Consil. 47. num. 2. lib. 2. Covarruyas Prædic. Quæst. cap. 26. num. 10. vers. Quarto, quoties. Fagnanus c. Ad audientiam. num. 44. & seqq. de Rescript.* citans alios: atque inde *num. 46.* cum aliis indubitanter inferens, quòd de tali Pensione faciendi fit mentio in Rescriptis beneficiabilibus, perinde ac de Beneficio.

90 *Resp. V. Loquendo tamen de Pensionibus posterioris generis, seu quæ autoritate Superioris ex legitima causa cuiusdam Clerico constituantur ad tempus, causa difficultas est, an veniat nomine Beneficii: videtur tamen distinguendum, quòd quidem hujusmodi Pensiones propriè beneficia Ecclesiastica dici non possint, neque appellatione Beneficii in materia odiosa veniant; scilicet tamen sit dicendum in materia favorabili. Ita Fagnanus *cit. c. Ad audientiam. num. 117. de Rescript.* ubi, cum sustinere præmississet contrarias Doctorum opiniones, tandem *num. 117. & seqq.* eandem hæc ratione conciliat: & addit *num. 120. & 134.* quòd hanc distinctionem inter materiam odiosam, & favorabilem, sæpius probaverit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum. Quod ipsum repetit *c. Cum in cunctis. n. 103. de Election.**

91 *Prima pars probatur ex eo: quia beneficium posterioris generis ex sui natura debet esse perpetuum; ut can. Scriptis mihi. & can. Quamvis triste. 7. q. 1. & c. Ex parte tua. 5. de Cleric. egrot. junctis dictis supra §. I. num. 8. & p. Atqui Pensio ista non est perpetua, sed temporalis; ergo. Deinde beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri, juxta *Reg. 1. Juris in 6.* Secus dicendum de hac specie Pensionis, utpote quæ non indiget tali institutione. Et hinc, ut plura alia taceantur, in c. Quamvis plenissima. 4. de Præbend. in 6. clarè habetur, in materia odiosa, & strictè accipienda, appellatione Beneficii non venire Pensionem, illis verbis: *Ei non in pensione, sed in beneficiis Ecclesiasticis tantum volumus provideri:* &*

& consequenter Pensio nomine Beneficii non venit in materia odiosa, de qua ibidem est sermo.

92 *Præsertim verò, quòd ex fide Concilii Tridentini appellatione Beneficii non veniat Pensio, patet ex Sess. 21. cap. 2. & Sess. 23. cap. 18. & Sess. 25. cap. 15. de Reform. ac notat Fagnanus *cit. c. Cum in cunctis. n. 106. de Election.* Et hinc fit, quòd Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 6. de Reform. statuens, ut nullus ante decimum quartum annum Beneficium possit obtinere, locum non habeat in Pensionibus; prout declaravit Sacra Congregatio ejusdem Concilii interpret. teste Fagnano *d. c. Cum in cunctis. n. 12. de Election.* Quia videlicet hæc materia, pura, incapacitas recipiendi Beneficium, est odiosa; ac proinde non debet ultra proprietatem vocabuli extendi ad Pensiones, quæ super fructibus Beneficii cuiusdam assignantur autoritate Superioris dumtaxat ad tempus; se proin illæ non sunt Beneficia propriè loquendo.*

93 *Dices. In c. Ad audientiam. 21. de Rescript. Beneficia, & Pensiones, inter se equiparantur, illis verbis: Recipientes annuas pensiones, seu alia beneficia: nam ly. Alia, vi suæ significationis stat implicativè, & est repetitivum similitum, & consequenter etiam Pensiones erunt Beneficia. Resp. cum Fagnano in *cit. c. Ad audientiam. n. 56. de Rescript. neg. antec.* cum sua probatione. Nam dictum illud, quòd ly. Alia sit repetitivum similitum, non verificatur, imò fallit: quando per alia Jura est declaratum, aliud non esse simile: hoc autem fit in proposito per *cit. c. Quamvis plenissima. 4. de Præbend. in 6.* cum similibus.*

94 *Urges. Subrogatum sapit naturam ejus, in cuius locum subrogatur, juxta textum, & Glossam c. Ecclesia sanctæ Mariæ. 3. §. Successerunt. Ut lite pendente, &c. ac Everardum in *Locis Legalibus. loc. 132. A vi subrogationis. n. 1. & seqq.* habere illud declarantem. Sed Pensio subrogatur in locum Beneficii; ergo sapit naturam ejus, siquæ est beneficium propriè. Resp. negando ultimam consequentiam: est enim Pensio sapit naturam Beneficii, non tamen est Beneficium propriè, strictèque loquendo. Et generaliter, subrogatum sapit quidem naturam ejus, cui subrogatur; non tamen habet eandem temper qualitates, vel naturam cum ipso, imò hæc ratio multipliciter solent differre: uti patet in S. Matthia Apostolo, subrogato in locum Judæ proditoris. Unde inter plures alias limitationes dictæ Regule, Everardus, ubi supra, *nu. 20.* ponit hæc, quòd memorata regula, Subrogatum &c. procedat quidem quoad naturam primordialem (quæ ratione etiam Pensio sapit naturam Beneficii, cum non minus, ac illud, detur pro congrua sustentatione Clerici) non verò lempet procedat quoad naturam accidentalem.*

95 *Alterà pars datæ num. 92. Conclusionis, quòd nomen in materia favorabili Pensio veniat nomine Beneficii; probatur imprimis ex Declaratione Gregorii XIII. qui ad consultationem. Sacre Congregationis, die 18. Decembris 1576. declaravit, Pensionarium ceteri Beneficium ad effectum gaudendi privilegio Fori Ecclesiastici, de quo loquitur Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 6. de Reform. idque duplici de causa. Primò, quia Cancellaria habet Pensionarium pro Beneficio; ideòque vult exprimi in Bullis pensiones, sicut beneficia. Secundo, quia B. Pius V. coëgit Pensionarium ad dicendum Officium parvum B. Mariæ Virginis, ut dictum num. 89. Et rursum idem Sanctissimus, proposito sibi dubio à Sac. Congregatione, dixit, in materia favorabili, ut est illa privilegii Fori, appellatione Beneficii venire Pensionem. Die 8. Augusti, 1577. prout refert Fagnanus*

cit. c. Ad audientiam. il. 2. num. 131. & 134. de Rescript.

96 *Accedit Ratio. Quia in materia favorabili, præsertim, ubi reditur ad Jus commune, debet fieri lata interpretatio; uti notat Glossa c. Cum dilectus. §. Juri communi, & Abbas *ibid. n. 21. de Consuetud. Sc. enim faciendâ est interpretatio, ut nulli sit onerosa, & secundum Jus commune; ut c. Casum qua. 18. de Rescript. & c. Cum olim. 6. de Consuetud. Atqui privilegium Fori, v. g. est favorabile, similique per illud reditur ad Jus commune, quo Clerici Jure Divino sunt exempti à jurisdictione seculari, can. Si imperator. dist. 96. & c. Quamquam. de Censib. in 6. cum similibus; ergo est latè interpretandum. Unde fit, quòd Pensio, si non ex proprietate vocis, saltem per interpretationem extensivam, possit intelligi, atque venire nomine Beneficii; sicuti post Gigantem *quaest. 58. n. 28.* loquitur Fagnanus *lo. cit. num. 117.* hoc ipsum *num. seq.* amplius ad Beneficia manualia: nam etiam hæc in materia favorabili (inquit) appellatione Beneficii includuntur, quæ tamen verè & propriè non sunt beneficia: ut jam dictum supra §. præced. n. 52. 54. & seqq.**

§. IV.

De erectione Beneficiorum, nec non qualitatibus in limine foundationum appositis.

SUMMARIUM.

- 99 *Que requiruntur ad erectionem beneficii Ecclesiastici? Et num. seqq. Ea debet fieri ad cultum Divinum, sub onere præstandi officii spirituale. Ibid.*
- 100 *Ad Beneficii erectionem requiritur etiam congruentia dotis.*
- 101 *Que, una cum loco erectionis, debet examinari per Episcopum. Non decet unum Altare discooperire, ut aliud cooperiatur. Ibid.*
- 102 *Ad erectionem Beneficii insuper requiritur consensus Episcopi, & quidem expressus.*
- 103 *Ubi constat de consensu Episcopi in limine foundationis adhibito, præsumuntur omnia per Episcopum diligenter discussa &c.*
- 104 *Et vicissim, Beneficio in forma debita ceteroquin erecto, præsumitur, consensum Episcopi ad initio intervenisse.*
- 105 *Fundator beneficii potest in limine foundationis adficere quasunque qualitates, leges, & conditiones sibi bene visas, ceteroquin honestas &c. Et num. 350.*
- 106 *Que omnimodis erunt observanda. Refertur textus notabilis Concilii Tridentini quoad hoc. Ibid.*
- 107 *Idque exemplificatur in fundatione exprimente, ut Beneficium vacaturum conferatur consanguineo Fundatoris &c. Et an valeat tunc collatio Beneficii alteri facta? Ibid.*
- 108 *Qualitates, seu conditiones turpes, aut impossibiles, appositæ in limine foundationis, habentur pro non adjectis.*
- 109 *Idque exemplificatur. Fundator Beneficii, an, & quâ ratione possit illud obtinere abique simonia? Ibid.*
- 110 *Qualitas, lex, aut conditio in limine foundationis appositæ, si de se honesta sit & possibilis, est observanda, licet sit contraria Juri communi idque exemplificatur.*

- 111 Fundatoris Successor non potest alterare, aut derogare qualitatibus in limine fundationis appositis &c.
- 112 Bene tamen Fundator ex justa causa, & cum consensu Episcopi, potest eas ex post facto alterare.
- 113 Sed non in præjudicium Ecclesiæ, aut juris tertio quaesiti.
- 114 Redditiis Beneficii diminutis, an Missarum in Fundatione impostarum numerum possit Episcopus reducere? Et num. seq.
- 115 Missarum ex relictis Defunctorum impostarum, v. g. Anniversariorum reductionem, ob tenuitatem reddituum, potest facere Episcopus. Et num. præced.
- 116 Et an duntaxat in Synodo Diocesana?
- 117 Per clausulas generales derogatorias, an censetur derogatum qualitatibus in limine fundationis appositis? Et num. seqq. *Clausula.* Non obstantibus statutis &c. unde desumpta sit? Ibid.
- 118 Per clausulam hanc derogatur Statutis Ecclesiarum generalibus.
- 119 Non tamen primæ fundationi, seu qualitatibus in eadem requisitis pro consecutione Beneficii, absque expressa mentione fundationis. Et num. seq.
- 120 Illud intelligendo tum in fundationibus Laicorum, tum etiam Clericorum.
- 121 Per clausulam illam, Non obstantibus fundationibus &c. derogatur quidem fundationibus Clericorum; non verò Laicorum, nisi expressa de his fiat mentio.
- 122 Et que ratio disparitatis?

99 **Q**uzitur I. Que requirantur ad erectionem Beneficii Ecclesiastici? Resp. I. Ad erectionem Beneficii Ecclesiastici cumprimis requiritur, ut fiat ad cultum Divinum, sub onere præstandi quoddam Officium spirituale, sive Ecclesiasticum. Siquidem Beneficium datur propter Officium, cap. ult. de Rescript. in 6.

100 Deinde requiritur congruentia dotis: sive, quod Beneficium ejusmodi non solum in loco congruo erigatur, & quidem absque præjudicio aliarum Ecclesiarum, sive Beneficiorum; sed etiam sufficientes redditus, pro decenti sustentatione Clerici Beneficiarii, eidem assignentur. Unde ad Episcopum pertinet, in limine fundationis ritè examinare locum erectionis, dotisque congruentiam, & futurum regimen, sive onera Beneficii imposita. Barboia lib. 3. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 4. num. 21.

101 Et quidem locus erectionis debet examinari, an sit conveniens pro tali Beneficio, nec hujus erectio tendat in præjudicium alterius. Quia non debet unum Altare cooperire, ut aliud cooperiatur; prout loquitur Abbas c. Pastoralis. num. 3. De his, que sunt à Prelatis &c. id probans ex c. Cum causam. 36. h. t. etique vulgatum Canonistarum. Dicit verò congruentia, juxta qualitates Beneficii, loci ac personarum, altariumque circumstantiarum, examinari debet, ut videatur, an Clericus inde honestè sustentari valeat: nam, ut Salvator inquit Matth. cap. 10. Dignus est operarius cibo suo. Atque secundum Apostolum, qui Altari servit, vivere debet de Altari, 1. Corinth. 9. &c. Cum secundum Apostolum. 16. h. t. cum similibus.

102 Tandem ad erectionem Beneficii Ecclesiastici requiritur autoritas, sive consensus Episcopi: adeo, ut non sufficiat consilium Episcopi, aut petitio sui consensus; sed requiratur consensus expressus. Barboia cit. cap. 4. n. 22. post Lambert-

num de Jurepatronat. lib. 1. part. 1. in q. quest. art. 2. n. 131. & concordant dicta superius §. 1. num. 14. & seqq.

Resp. II. Ubi constat de consensu Episcopi in limine fundationis adhibito, præsumatur omnia per eandem diligenter discutita, etiam circa congruentiam dotis. Ita Rota Decis. 527. n. 1. part. 2. Recent. apud Barboiam loc. cit. num. 22. Generaliter etiam pro Jure judicialiter procedente, alitque Viris litteratis, providis & honestis præsumitur, quod in suis negotiis ritè procederint, donec contrarium probetur; c. In nostra. & Abbas ibid. n. 3. de Procurat. &c. Cum dilectus. 9. de Fide instrument. estque uberius dictum supra Lib. 2. Tit. 23. De Præsumptionibus. §. 4. n. 86. & seqq.

Sicut & vicissim præsumitur, hanc Episcopi auctoritatem ab initio intervenisse in erectione Beneficii, si Ecclesia edificata, alitve Beneficium, ceteroquin reperitur in forma debita; habeatque dotem, atque Rectorem. Barboia, ubi supra, n. 23. post Rotam in Hippogregensi Capella. 13. Junii 1613. coram R. P. D. Pirovano, & alios. Concordat Mascardus de Probatione. Concl. 416. nu. 4. allegatis pluribus aliis docens, quod consensum Episcopi in fundatione Ecclesiæ intervenisse, præsumatur ex diuturnitate temporis, si in ea publicè sint celebrata Divina.

Quæritur II. Quid dicendum sit de qualitatibus, sive conditionibus, in limine fundationis Beneficii per Fundatorem appositis? Resp. I. Fundator Beneficii potest in limine fundationis adijcere quasvisque voluerit qualitates, leges seu conditiones sibi bene visis, ceteroquin tamen possibiles, ac honestas, cum consensu Ordinarii. Ita desumitur ex c. Significatum. 11. de Præbend. & c. Præterea. 23. de Jurepatronat. & c. Quando. 16. de Censib. Et inter alios tradit Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gloss. 5. n. 100. & seqq. allegans Rotam Decis. 1. de Præbend. in novis. & Decis. 2. de Testam. in antiq. atque, ut inquit Card. de Luca de Beneficiis, Discurs. 95. n. 10. est regula generalis. Siquidem quilibet est moderator, & arbiter rerum suarum, l. In re mandata. C. Mandati: potestque de ipsis, sive in vita per pias, v. g. fundaciones, sive mortis causa per testamentum, prout sibi bene visum est, disponere.

Unde & Jura ejusmodi qualitates, sive onera, & conditiones in limine fundationum adjectas, omnimodis observandas esse censuerunt: ut Clem. Quia contingit. §. 1. de Religios. Domib. ubi dicitur: Ea, que ad certum usum largitione sunt concessa Fidelium, ad illum debent, non ad alium (salva quidem Sedis Apostolicæ auctoritate) everti. Concordat textus in l. Nulli licere. C. de Episcop. & Cleric. &c. Nos quidem. 3. de Testam. cum similibus: ac novissime Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 5. de Reform. illis verbis: Ratio postulat, ut illis, que bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur: quando igitur ea Beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus, qualitates alique requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta; in Beneficiorum collatione, seu in quacunque alia dispositione, eis non derogetur. Et infra: Aliter facta provisio, subreptitia censetur.

Sic, ubi Fundator in limine fundationis ordinavit, seu expressit, ut emergente vacatura Capelle, seu Beneficii à se erecti, illud conferatur cuiquam ceteroquin idoneo ex consanguineis descendibus ex sua cognatione; hæc conditio, seu qualitas inhiungenda, omnino erit observanda. Rota in via Cesaraugulana Capellanie. 16. Martii. 1587. coram illis. Seraphino. Et aliter facta præsentatio, seu provisio de non habente dictam qualitatem

consanguinitatis, est invalida. Garcias de Beneficiis, part. 7. cap. 15. n. 6. allegans alios. Dummodo adit quispian habilis ex consanguineis illius Fundatoris, & quidem contradicens, atque opponens, sibi que vi primæ fundationis provisionem fieri postulans: alioquin enim, nemine opponente, suffinetur præsentatio, vel provisio; non minus, ac si fieret spreto patrono, & tamen non contradicente. Pyrrhus Corradus lib. 2. Praxis Benefic. cap. 10. n. 67. & 69. & Garcias cit. cap. 15. n. 7. & part. 5. cap. 9. n. 231. & 232. allegans alios, & multiplicem Decisionem Rotæ. Atque hoc ipsum, servatâ proportionem, dicendum est de aliis similibus casibus.

108 Additur notanter in Conclusionem, ceteroquin tamen possibiles, ac honestas. Nam qualitates, seu conditiones turpes, aut impossibiles appositæ in limine fundationis, quo favore Religionis habentur pro non adjectis, arg. cap. ult. de Conditionib. apposit. &c. ac notat Pyrrhus Corradus cit. lib. 2. Praxis Benefic. cap. 10. n. 166.

109 Hinc reprobat illa fundatio Beneficii, quæ sit cum pacto, & conditione, ut Fundatori bona sua temporalia Ecclesiæ conferenti, postmodum liceat Beneficium illud retinere. Nam talis pactio, sive conditio appositæ, est turpis, atque simoniaca, juxta textum expressum in c. tua nos. 34. de Simonia: cum in talibus, sive in beneficiis Ecclesiasticis, omnis pactio, ac conventio cessare debeat juxta Canonicas Sanctiones, cit. c. Tua nos. & c. Quæsum. 5. de Rerum permutat. Si tamen purè ac simpliciter quis erigat Beneficium, & roget solummodo humiliter, ut illud sibi conferatur, poterit istud fieri absque ulla labe simoniz, cit. c. Tua nos. §. Si verò de Simonia.

110 Quod si verò qualitas, sive lex, aut conditio in limine fundationis adjecta, de se sit honesta & possibilis, tunc ea est observanda; haud obstante, quod sit contraria Juri communi. Glossa communiter approbata in c. Cùm dilectus. 5. Constitutum. vers. Suis tamen credo. de Constitud. Card. de Luca de Beneficiis. Discurs. 95. num. 10. Fagnanus c. Cùm in cunctis. n. 72. & 73. de Election. asserens, sic tenuisse Sacram Congregationem; quam secuta fuit Rota Decis. 104. n. 1. part. 2. Recent. Atque istud exemplificat Fagnanus ibid. in Canonice, qui potest conferri ante ætatem à Jure communi, vel Concilio Tridentino præscriptam, si ita cautum fuerit in ejusdem fundacione. Et talem conditionem in erectione Beneficii, etiam Episcopus admittere potest.

111 Resp. II. Leges, conditiones, seu qualitates in limine fundationis appositæ, non potest Patronus hæres, sive Fundatoris successor alterare, aut eisdem derogare, etiam cum consensu Episcopi. Ita conformiter Concilio Tridentino Sess. 25. cap. 5. de Reform. (cujus verba num. 106. relata sunt) Card. de Luca de Beneficiis, Discurs. 96. n. 6. & 7. citans Rotam in Alexandrina Decanatus. 12. Junii 1598. coram Orano; & aliam Rotam Decis. 496. n. 9. part. 1. recent. Pyrrhus Corradus in Praxi Beneficiorum lib. 2. cap. 10. n. 145. & seqq. ubi sub num. 152. refert Declarationem Sacræ Congregationis Concilii, quæ cùm inter alia interrogaretur: Quare, An de consensu patroni possit dispensari cum minori viginti quinque annorum ad Capellaniam simplicem obtinendam; ad quem ex fundatione est præsentandus Sacerdos? Respondit: Ad quartum, hanc dispensandi facultatem Episcopis post Concilium non competere. Hæc ibi. Concordat Fagnanus in c. Conquerente. n. 24. de Cleric. non resident. pariter asserens, Sacram Congregationem censuisse, quod hodie ex Decreto Concilii Tridentini cit. Sess. 25. c. 5.

de Reform. non sit in facultate Ordinarii, derogare qualitatibus in fundatione appositis, etiam de consensu Patronorum. Garcias part. 7. de Beneficiis cap. 1. n. 107. & III. ac seq. Quidquid olim Felinus c. cùm accessissent. n. 19. de Constit. & nonnulli alii, apud eundem Garciam num. 105. & 106. in oppositum tenuerint, asserentes, posse Episcopum cum consensu Patroni successoris Fundatoris pro una, vel altera vice alterare qualitates, seu conditiones in fundatione requisitas; ac dispensando contra eas, conferre Beneficium non habenti dictas qualitates. Nam hæc opinio satis rejicitur ex verbis Concilii Tridentini jam relatis, junctâ præsertim Declaratione Sacræ Congregationis Concilii, ac tam multiplici Decisione Rotæ.

Additur notanter in Conclusionem, Patronus hæres, sive Fundatoris successor &c. Nam, quod Patronus fundator adhuc vivens ex justa causa, & cum consensu Episcopi, possit tollere, seu alterare conditiones, sive qualitates tempore fundationis appositæ, etiam ex post facto, censet Garcias cit. part. 7. cap. 1. n. 103. post Felinum c. Cùm accessissent. nu. 19. & Decium num. 51. de Constitution. Rochum de Curte De Jurepatronat. §. Pro eo quod. quest. 14. n. 30. & alios, quos citat, asserens, istud videri clarum.

Fatendum tamen, quod oppositum teneat Pyrrhus Corradus cit. lib. 2. Praxis Benefic. cap. 10. n. 157. & seqq. Quia (inquit) Concilium Tridentinum, ubi supra, ac Declarationes Sacræ Congregationis non distinguunt inter Patronum viventem, & defunctum; ergo neque nos distinguere oportet, l. De prescri. ff. de Publician. in rem action. Eò præsertim: quia per fundationem ab Episcopo authenticatam, jam est jus Ecclesiæ acquiritum: quod proinde ex post facto non amplius potest Fundator eidem auferre, minuire, aut per novas conditiones infringere. Et hæc posterior sententia locum habere videtur, quando Patronus ex intervallo vellet qualitates fundationis mutare in præjudicium Ecclesiæ. Card. de Luca Discurs. 60. de Jurepatronat. n. 16. Aut in præjudicium tertii, tollendo jus ipsi jam quæsitum. Card. de Luca Discurs. 16. de Jurepatronat. n. 2. & 3. post Rotam Decis. 37. n. 1. & seqq. part. 7. Recent. & alibi sæpius. Alioquin fecit. Idem Card. de Luca Discurs. 18. de Jurepatronat. n. 4. citans alios.

Limitatur etiam à nonnullis data Conclusio in II. casu, quo redditus ipsius Beneficii postea ob temporum injuriam sunt diminuti, atque insufficientes reperitur ad supportanda onera in limine fundationis imposita, legendi v. g. tot vel tot Missas. Tunc enim posse Episcopum cum consensu Patroni, imò etiam ipso invito, onera imposita, seu Missas v. g. legends moderari, & reducere ad minorem numerum juxta quantitatem reddituum Beneficii; tradit Garcias cit. part. 7. cap. 1. n. 134. 135. & seqq. post Felinum in c. Cùm accessissent. n. 19. de Constit. ubi ait, quod cessantibus redditibus cessare debet ordinatio testatoris. Concordat Azorius part. 2. lib. 6. cap. 24. quest. 6. Miranda in Manual. Prælat. tom. I. quest. 41. art. 24. vers. sed reverè, plursèque alii à Garcia, ubi supra, relati. Accedit ratio: quia alioquin non facile reperiretur, qui sub redditibus aedè tenuibus, atque diminutis, vellet antiqua onera sustinere; sicque pie Fundatorum voluntates penitus deperirent, nisi ob urgentem hanc diminutionis reddituum causam Episcopali autoritate temperari, atque ex parte saltem, quantum fieri potest, sustineri vellent, arg. c. Cùm accessissent. 8. & c. Ex parte. 12. de constitution. & quæ ibidem notat Doctores. Quinimò ob hanc ipsam causam Concilium Tridentinum

Sess. 25. cap. 4. de Reform. facultatem dedit Episcopis, ut in Synodo Diocesana, itemque Abbatibus, & Generalibus Ordinibus, ut in Capitulis Generalibus, re diligenter inspectâ, possint pro sua conscientia reducere ad minorem numerum onera Missarum, ex variis Defunctorum relictis impositarum, quando elemosynæ pro illis celebrandis adeo sunt tenues, ut non facile inveniatur, qui hæc sese muneri subjicere velit.

115 Verum loquendo de oneribus Missarum celebrandarum in Fundatione appositis (sicut & de impositis post dictum Concilium Tridentinum) contrarium sententiam tenent Gavantus in *Manual. Episcop. cap. 5. Missa. n. 55. & 56. Fagnanus c. Significatum. n. 15. de Præbend. Tamburinus lib. 3. de Sacrificio Missæ, cap. 1. §. 2. n. 1. & 2. Diana part. 2. tract. 14. resol. 1. allegans Homobonum in *Emam. Eccles. part. 1. tract. 4. cap. 14. q. 129.* pluresque alios, qui asserunt, reductionem talium Missarum non posse fieri per Episcopum, sed pro ea obtinenda recurrendum esse ad Papam. Rationem dant: quia Concilium Tridentinum loc. cit. concedens Episcopis facultatem reducere onera Missarum ad minorem numerum, loquitur solum de magno Missarum celebrandarum numero ex variis Defunctorum relictis imposito; uti sunt Missæ, & Anniversaria Defunctorum: non autem de Missis impositis Beneficio, seu Capellaniz, in limine fundationis: ac proinde inferunt memorati Auctores, pro harum reductione recurrendum esse ad Summum Pontificem. Accedit, quod ita novissime decreverit Urbanus VIII. in sua 45. Constitutione, *Cum sæpe contingat* (atque alio nomine, *Decretum de Celebratione Missarum*, appellatur) ubi §. 1. *districte prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diocesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliis quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum; aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur &c.* idque sub nullitate actûs in contrarium gestû. Quod ipsum amplius habetur in Declarationibus Sacræ Congregationis Concilii, eidem Decreto in citato Bullario subjunctis, respondendo ad primum Dubium, quod non obstante tenuitate Legatorum, pro reductione onerum *Sedes Apostolica sit ad eunda, que absque ulla impensa id statuer, quod magis in Domino è re esse judicaverit.**

116 Ubi pariter notandum est, quod Concilium Tridentinum cit. Sess. 25. cap. 4. de Reform. expressè addiderit, memoratis Missarum ex variis Defunctorum relictis impositarum reductionem, ab Episcopo esse faciendam in Synodo Diocesana: adeoque, inspecto rigore ejusdem Concilii, id fieri non posse extra memoratam Synodum. Attamen, quod illud Decretum in aliquibus Episcopatus non fit usque receptum, utpote in quibus reductiones non solum Missarum Capellaniarum, sed etiam Anniversariorum, & dotationum Ecclesiarum sunt extra Synodum; refert Garcias d. part. 7. cap. 1. n. 136. Addit etiam Navarrus cap. 25. *Manual. n. 138.* illud, quod Concilium Tridentinum cit. Sess. 25. cap. 4. de Reform. concessit, videri quidem *Jus novum quoad Abbates & Generales, sed non quoad Episcopos, qui possunt hoc facere, etiam sine Synodo, Jure antiquo, arg. c. Cum accessissent. &c.* Ex parte, de Constitut. quod non videtur per hoc sublatum, cum fuisset additum ad augendum. Hæc Navarrus.

117 Queritur III. Utrum per clausulas generales derogatorias, in Litteris Apostolicis contentas, *Non obstantibus statutis &c.* conceatur derogatum qualitibus in limine Fundationis requisitis? Ubi

sciendum, quod clausula illa, *Non obstantibus, ejusdem Ecclesiæ privilegiis, consuetudinibus, vel statutis juramento, confirmatione Apostolica, vel quocunque firmitate aliâ roboratis, quæ communiter in Rescriptis ad beneficia Ecclesiastica, & Præbendas Ecclesiasticæ Cathedralium, seu Collegiarum apponi solet* (non verò in aliis beneficiis, ut inquit Garcias part. 7. de beneficiis, cap. 1. n. 123.) desumpta sit ex c. *Cum aliquibus. 4. de Rescript. in 6.* De cujus etiam intellectu, præter alios Doctores, plura congerit Barbosa in *Tractat. de Clausulis usu frequem. Clausul. 84. per totum.* Quo prænotato

Resp. I. Esti per clausulas ejusmodi generales derogatur Statutis Ecclesiasticis generalibus, seu omnia Beneficia cujusvismodi Ecclesiæ respicientibus: non tamen per ipsas censetur derogatum primæ fundationi, seu qualitibus in eadem pro consecutione certi cujusvismodi Beneficii requisitis, nisi expressa fiat mentio ipsiusmodi fundationis. Ita Felinus c. *Nonnulli. num. 22. de Rescript. Garcias cit. part. 7. cap. 1. n. 116. 117. & 118. & Barbosa cit. Clausul. 84. n. 5. & 6. & 11. allegans alios, & multiplicem Decisionem Rotæ. Prior pars ex eo liquet: quia Papa nec deest potestas derogandis statutis Ecclesiasticis, cap. 1. de Constitut. in 6. & c. *Licet Ecclesiarum. 2. de Præbend. in 6.* cum similibus. Nec voluntas, stante clausula illa: hæc quippe expressis verbis continet claram intentionem Papæ, volentis pro ea vice derogare statutis Ecclesiæ, cui Rescriptum porrigi debet.*

Altero verò pars desumitur ex c. *Cum dilectus. 19. 28. junctâ Glossâ y. Quempiam presentare. circa fin. de Jurepatron. Siquidem Papa per clausulas generales non intendit præjudicare, nec derogare piis fundationibus, seu legibus in earum limine appositis, ne Fideles retrahantur à fundationibus, & ordinationibus Beneficiorum. Glossa loc. cit. Garcias cit. cap. 1. num. 118. allegans Rotam in *Foroliviens. Capellaniz. 10. Maii. 1589. coram Dom. Seraphino.* & alios.*

Atque istud procedit non solum in fundationibus Laicorum, de proprio patrimonio fundantium Ecclesiis, aliisque beneficiis Ecclesiasticis; sed etiam in Fundationibus Clericorum, juspatronatus duntaxat Ecclesiasticum habentium: prout contra nonnullos alios, tenet Felinus cit. c. *Nonnulli. num. 23. de Rescript. & Garcias d. part. 7. cap. 1. n. 120. & 121.* Accedit ratio: tum quia etiam fundatio Clerici facta ex bonis Ecclesiasticis, est multum favorabilis; sicque non censetur ipsi derogatum, nisi de fundatione fiat expressa mentio. Tum quia primæ fundatio, sine ordinatio in eadem posita, proprie non solet dici *Statutum*, sicque sub generali derogatione Statutorum non venit, prout argumentatur Garcias cit. n. 121.

Resp. II. Quando in clausulis derogatoriis etiam apponitur *ly. Non obstantibus fundationibus &c.* derogatur quidem fundationibus Clericorum, atque qualitibus, seu requisitis ipsarum; non verò fundationibus Laicorum, seu factis ex bonis patrimonialibus, nisi de his fiat expressa mentio. Ita Glossa c. *Cum dilectus. y. Quempiam presentare. de Jurepatronat. & alia Glossa in Clem. 2. y. Apostolicis. de Præbend. Garcias lo. cit. n. 122.* Fagnanus c. *Quoniam. n. 10. & 11. de Jurepatronat.* cum aliis generaliter docens, quod Papa non censetur velle derogare juspatronatus Laicorum, nisi hoc exprimat.

Accedit ratio, simulque disparitas inter utramque partem Conclusionis. Quia Laici acquirunt juspatronatus ratione proprii patrimonii, quo fundaverunt, construxerunt, vel dotarunt Ecclesiam,

aut Beneficium: unde, ne alii retrahantur à faciendis similibus piis fundationibus, neque consultum est, neque Papa presumentur velle eidem quoquo modo derogare, nisi istud clarè exprimat. Secus dicendum de Clerico, seu Patrono Ecclesiastico, qui Beneficium fundavit non ex proprio patrimonio, sed ex bonis sive Ecclesiæ, ceteroquin jurisdictionis Papæ specialiter jam subiectis. Verum de Juspatronatus, & qualiter acquiratur, plura inferens in proprio Tit. 23. de Juspatronatus.

§. V.

De collatione Beneficiorum: ubi plura de collatione Ecclesiarum Parochialium per Concursum.

S U M M A R I U M.

- 123 Beneficia Ecclesiastica tribus potissimum modis conferuntur.
- 124 Acquiruntur etiam nonnullis aliis modis; & quibus?
- 125 Quæ requirantur ad legitimam provisionem, seu collationem Beneficii? Et num. seqq.
- Provisio est nomen latum, comprehendens sub se omnes modos providendi Ecclesiis &c. Ibidem.
- Provisio idem est, ac collatio. Ibidem.
- 126 Collatio Beneficii debet esse canonica.
- 127 Ac celebrata iuxta formam à Jure communi, statuto, aut consuetudine &c. præscriptam.
- Forma dat esse rei. Ibidem.
- 128 Collatio Beneficii debet fieri gravis: alioquin erit simoniaca, & invalida.
- 129 Debet etiam fieri pure; hoc est, sine pacto, conditione &c.
- 130 Et non esse obtema subreptitiæ.
- 131 Debetque fieri intra debitum tempus; & quale?
- 132 & 133. Quibus conferenda sint beneficia Ecclesiastica? Remissive.
- 134 Quid dicendum de collatione Ecclesiarum Parochialium, per formam Concursus. Et num. seqq.
- 135 Forma Concursus non habet locum in beneficiis simplicibus, bene tamen in Ecclesiis Parochialibus.
- 136 His vacantibus debet constitui idoneus Vicarius, si opus fuerit.
- 137 138. 139. & 140. Et que alia quoad formam Concursus præscripserit Concilium Tridentinum?
- 141 Dantur nonnullæ Ecclesiæ, etiam Parochiales, in quarum provisione non requiritur forma examinis per Concursum. Et n. seqq.
- U. si Ecclesiæ Parochiales sint omnino pauperes; vel timentur factiones &c. Ibidem.
- 142 Item Vicariis perpetuis Parochialium unitarum Ecclesiarum, Collegiis &c.
- 143 Aut Monasteriis Regularium: ubi de his nonnulla specialia habentur.
- 144 Item Dignitates curam animarum habentes in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis.
- 145 Ac Beneficium curatum, quod verè Dignitas est.
- 146 Sicut & in permutationibus Parochialium Ecclesiarum non requiritur examen per formam Concursus.
- Et an aliud examen permutationum tunc requiratur? Ibidem.
- 147 Ecclesiæ Parochiales juspatronatus Laicorum, etiam non conferuntur per formam Concursus. Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

Et num. 139.

Alii casus, in quibus cessat necessitas examinis per formam Concursus. Remissive. Ibidem.

148 Provisiones Parochialium, præter & contra formam præscriptam factæ, nullius sunt roboris, ex Constitutione B. Pii V. In conferendis.

149 Et in quibus Diocesis hæc Constitutio locum habeat?

Queritur I. Quibus modis generatim conferuntur beneficia Ecclesiastica? Resp. breviter, id fieri potissimum tribus modis. Primo, per Electionem canonicam, seu legitime celebratam à Capitulo, vel aliis, quorum interest, atque à Superiore confirmatam; & de hac dici solet, atque ex professo jam dictum est supra Lib. 1. Tit. 6. De Electione, per totum. Secundo, per Præsentationem præviam, & institutionem in beneficio factam à Prælo: de quo modo conferendi beneficia Ecclesiastica, dicitur inferius partim Tit. 7. De Institutionibus, partim Tit. 28. de Juspatronatus. Tertio, per Collationem liberam: quæ videlicet Beneficium solum jure Prælati liberè, vel absque prævia Capitulari electione, vel alterius præsentatione, cuiuspiam idoneo Clerico confertur; & de hoc agitur in præsentationibus, junctis dicens infra cit. Tit. 7. De Institutionibus. & Tit. 8. De Concessione Præbendæ &c.

Dicitur notanter in Conclusionem, *tribus potissimum modis.* Quamvis enim hi tres sint communiores, & præcipue usitati modi, quibus beneficia Ecclesiastica conferri, obinereque solent: unde hæc de causâ communiter beneficia dividuntur in electiva, patronata, & collativa, seu libera, ut jam superius num. 39. dictum est. Nihilominus beneficia etiam acquiri possunt, & quandoque acquiruntur aliis modis: ut puta, per Postulationem, de qua dictum est supra Lib. 1. Tit. 5. De Postulatione Prælatorum, per totum. Item, per Resignationem, secus Beneficii resignati collatione per Ordinarium alteri factâ: de qua, & qualiter fieri debeat, pariter cit. Lib. 1. Tit. 9. De Renunciatione, ex professo tractatum fuit. Item mediante Beneficiorum permutatione, juxta dicenda inferius Tit. 19. De Rerum permutatione. Tacetur specialis modus acquirendi Episcopatum per Translati nem; de quo superius Lib. 1. Tit. 7. De Translatione Episcopi, fusiùs actum est: nec non modus acquirendi beneficia ad primas preces Imperatoris, & hujusmodi. Nisi placuerit hos ipsos conferendi beneficia modos reducere ad unum priorum trium, conformiter dictis supra Lib. 1. Tit. 6. De Electione, num. 9.

Queritur II. Que requirantur ad legitimam provisionem, seu collationem Beneficiorum? Ubi prænotandum cum Glossâ in Clem. ult. y. *Provisio. ni. de Election.* quod *Provisio* fit nomen satis latum, & veluti genus comprehendat sub se omnes modos, per quos providetur cuiuspiam Beneficio, ipsique Ecclesiæ de idoneo Rectore: unde complectitur sub se Nominationem, Postulationem, Præsentationem, Collationem; etique amplius dictum supra Lib. 1. Tit. 6. De Electione, n. 16. Atque in hoc sensu Glossa c. *Eum cui. in Casu. de Præbend. in 6.* asserit, quod idem est *Provisio*, quod *Collatio*; juxta textum ibidem, quo Canonici cuiuspiam à Sede Apostolica collati, postea provisionis ordine dicitur ipsi concessi. Idem tradit Glossa in Clem. ult. y. *Conferantur. de Rerum permutat. post recepta.* Quo prænotato,

Resp. I. Generatim loquendo ad legitimam provisionem, seu collationem beneficii Ecclesiastici, requiruntur

requiritur, quod sit Canonica: hoc est, facta juxta præscriptum Sacrorum Canonum; videlicet, sine vitio conferentis, recipientis, & formæ. Ita Jo. Andreas c. Constitutus. n. 2. de Filiis Presby. & alii. Siquidem, ut habet Reg. I. Jur. in 6. Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri: junctâ Reg. 64. eod. in 6. Que contra jus sunt, debent utique pro infidelis haberi, cum concordantibus.

127 Resp. II. Deinde in collatione, seu quacunq[ue] provisione Beneficiorum, oportet observare formam à Jure communi, vel statuto, aut consuetudine, vel fundatione præscriptam; alioquin nulla erit. Ita communis; & signoanter Garcias part. 9. de Beneficiis, cap. 1. num. 1. post Puteum. Decif. 238. lib. 1. & alios. Siquidem formam dat esse rei, l. Julianus. §. Si quis rem. ff. Ad exhibendum. Ac formâ non servatâ, corrumpit actus, c. Quia propter. 42. §. Aliter. de Election. & can. Sine exceptione. 12. quest. 2. & c. Cùm dilectâ. 22. de Rescript. cum similibus; & latè tradit Everardus in Loco. A defectu formæ. num. 2. & 3. ac seqq. Garcias cit. part. 9. cap. 1. num. 1. & alii. Caterum, quanam forma in specie sit observanda in provisione Beneficiorum per viam electionis, postulationis, renunciationis, seu permutationis, ac hujusmodi, in propriis locis, imò & sub specialibus Titulis, commodius explicari solet. Generatim autem loquendo,

128 Resp. III. Ad quacunq[ue] provisionem, seu collationem beneficij Ecclesiastici, vel maxime pecuniâ, seu mercede temporali interveniente, can. Si quis dator. & can. Si quis objecerit. & can. Salvator. I. q. 3. cum innumeris concordantiis. Alioquin quippe contraheretur simonia, quâ provisione Beneficij vitatur, ipsiq[ue] jure invalida existit ejus acquisitio. can. Ea que. 1. q. 3. & Extravag. Cùm detestabile. de Simon. inter Commun. cum similibus; atque amplius dici solet Tit. de Simonia.

129 Insuper requiritur, ut collatio & quævis provisio beneficij Ecclesiastici, fiat purè: id est, sine pacto, conditione ac modo, privatâ partium conventionem adjecto: alioquin pariter censetur simonia, & nulla, c. Super eo. 7. de Transactio. & c. Cùm pridem. 4. & c. Cùm Clerici. 6. de Paolis, cum concordantiis. Nam, ut c. Questum. 5. de Rerum permutat. legitur, Pactio circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ. Ac proinde merito cap. ult. de Paolis, dicitur: Paoliones factæ pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cùm in hujusmodi omni pacto, omnisq[ue] conventio debeat omnino cessare, nullus penitus sunt momenti. Videantur plura de hoc superius Lib. 1. Tit. 9. de Renunciatione. §. 4. n. 75. & seqq. ubi hoc ipsum exemplificatur; simulq[ue] n. 81. & seqq. declarat clausula illa, privatâ partium conventionem adjecto.

130 Uterius requiritur, ut collatio Beneficij non sit obtemperata subreptitiè; hoc est, per expressionem falsitatis, aut suppressionem veritatis de jure exprimentis: alioquin ipsa non tenet, ac nullus est illius momenti. c. Cùm aded. 17. junctâ glossâ §. De præbenda. & §. Nec Clericus de Rescript. & c. Ad audientiam. II. eod. & Clem. de Præbend. cum similibus; & itaq[ue] ex professo dictum supra Lib. 1. Tit. 3. De Rescriptis. §. 7. numer. 171. ac seqq.

131 Resp. IV. Ad validam provisionem, seu collationem Beneficij etiam requiritur, ut fiat intra debitum tempus: hoc est, intra tres menses, loquendo de Ecclesiis Cathedralibus, & Regularibus Præbato perpetuo vacantibus: vel intra semestre, à die notæ vacationis computandum, loquendo de cæ-

teris Præbaturis, Dignitatibus, & beneficiis Ecclesiasticis. Textus est in c. Ne pro defectu. 41. de Election. & c. Nulla. 2. & c. Quia diversitatem. 5. §. fin. de Concessio. Præbend. junctâ c. Licet. 3. de Supplend. negligent. Prælat. & itaq[ue] ubertis dictum supra Lib. 1. Tit. 6. De Electione. §. 11. n. 278. usq[ue] ad n. 282. & Tit. 10. De supplenda Præbaturâ Prælatorum. nu. 22. 23. & 24. Ibi videatur.

Quæritur III. Quibus conferenda sint beneficia Ecclesiastica? Resp. I. Generatim loquendo, talibus Clericis conferenda sunt Beneficia, præsertim curata, quos commendat ætatis maturitas, gravitas morum, & literarum scientia, juxta textum expressum c. Cùm in cunctis. 7. §. 1. de Election. Et qui dignè possunt Dominica Sacramenta tractare: melius est enim Domini Sacerdoti paucos habere ministros, qui possunt dignè opes Dei exercere, quam multos inutiles, prout habetur can. Tales distink. 23. Quisque personaliter residere in loco Beneficij, & curam ejus per se ipsos valeant exercere, c. Quia nonnulli. 3. de Clericis non resident. cum concordantiis.

Resp. II. Loquendo magis in specie, quanam ex parte promovendorum ad beneficia Ecclesiastica, tum curata, tum non curata (puta, ad obtinendis Episcopatus, Ecclesias Parochiales, vel Vicariatus perpetuos; sive ad Dignitates, Personatus, & Canonatus Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiarum, ipsiq[ue] Beneficia simplicia) requirantur, in propriis locis jam dictum est. Præsertim verò de his copiosè, simulq[ue] ex professo, actum fuit supra Lib. 1. Tit. 6. De Electione. §. 9. De Qualitatibus Eligendorum, per totum; & Tit. 14. De Ætate, Qualitate, & Ordine Præbendorum, pariter per totum; ubi proinde videri poterit.

Quæritur IV. Quid dicendum de collatione Parochialium Ecclesiarum per formam Concursus. Resp. I. Cùm maxime expedit animarum salutem, eas à dignis & idoneis Parochis gubernari: hinc ut istud diligentius ac rectius perficiatur, Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 18. de Reform. pro assumendis ad regimen Parochialium Ecclesiarum, novam formam examinis per Concursum (ut vocant) præscripsit, consistentem in sequentibus.

Et primò quidem Sancta Synodus statuit, ut examen hujusmodi ferretur in omnibus Ecclesiis Parochialibus, etiam si cura Ecclesiæ, vel Episcopop incumbere dicatur, aut per unum vel plures administrantur, per obitum, vel resignationem vacantibus: etiam si ipsa Parochialis Ecclesia reservata, vel affecta fuerit generaliter, vel specialiter &c. Secus dicendum de Beneficiis simplicibus: nam horum collatio non indiget prævio examine per Concursum; unde nec ipsorum meminit Concilium præfatum. Aloys. Riccius part. 1. Prax. Fori Ecclesiast. Ref. 362. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 60. n. 36. citans Rotam in una Calagurritana reductionis Motus proprii. 29. Martii 1592. coram Illustri. Seraphino, inter hujus impressas Decif. 942. n. 6. & 7.

Secundò statuit, ut occurrente Parochialis Ecclesiæ vacatione debeat Episcopopus statim, habitâ notitiâ vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec et de Rectore provideatur. Ita Concilium. Ubi ly, si opus fuerit, additum fuit ad excludendum casum, quo in eadem Ecclesia adessent alij Ministri Sacramentorum, qui interea curam illam, que ad defunctum spectabat, exercerent &c. Garcias part. 9. de Beneficiis, cap. 2. n. 13. allegans Declarationem Sacræ Congregationis Concilii.

Tertiò idem Concilium statuit; ut Episcopopus, & qui juspatronatus habet, intra decem dies, vel alius

aliud tempus, ab Episcopopo præbendum, idoneos aliquot Clericos ad regendam Ecclesiam coram deputandis examinaturibus nominet. Aut pro regionis more, per Edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Transacto constituto tempore, omnes, qui descripti fuerint, examinentur ab Episcopopo, sive eo impedito, ab ejus Vicario Generali, atq[ue] aliis examinaturibus non paucioribus, quàm tribus &c. in Synodo Diocesana proponendis, & approbandis, atq[ue] habitatis juxta præscriptum citati Concilii Tridentini.

138 Quarto statuit, ut peracto examine renunciatur, quocunq[ue] ab his idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrinâ, prudentiâ, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis; ex hisq[ue] Episcopopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, atq[ue] illi, & non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre.

139 Quintò præscribit Concilium, quid observandum sit, quando Ecclesia Parochialis est juspatronatus Ecclesiastici, vel Laicalis, illis verbis: Si verò juspatronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopopum, & non ad alium pertinet, is quem Patronus dignior inter probatos ab examinaturibus judicabit, Episcopopo præsentare teneatur, ut ab eo instituat. Cùm verò institutio ab alio, quàm ab Episcopopo, erit faciendâ, tunc Episcopopus solus est dignus eligat digniorem, quem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. Quid si juspatronatus Laicorum fuerit; debeat, qui à Patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatus, ut supra, examinari, & non, nisi idoneus reperitus fuerit, admitti. Hæc ibi. Unde patet notabile discrimen inter juspatronatus Ecclesiasticum, & Laicale: nam in illo præmittendum est examen plurium, seu per formam Concursus; secus in isto, ubi solus ille, qui à Patrono laico præsentatus est, examinari debet, atq[ue] admitti, si dignus reperitus fuerit. Ratio hujus disparitatis habetur supra n. 121. & 122.

140 Sextò statuit Concilium, ut in omnibus supra dictis casibus non cuiquam alteri, quàm uni ex prædictis examinatis, & ab examinaturibus approbatis, juxta supra dictam regulam provideatur: atq[ue] Examinatorum relationem nulla devolutio, vel appellatio, etiam ad Sedem Apostolicam impediatur, aut suspendatur &c. Aliis provisiones omnes, seu institutiones, præter supra dictam formam factæ, subreptitiè esse censentur: non obstantibus &c. prout amplius, & quidem fidelissimè, allegatis pluribus Sacræ Congregationis Declarationibus, & Rotæ Decisionibus, atq[ue] Constitutione 23. B. Pii V. quæ incipit, In conferendis, edita 1566. 15. Cal. April. declarat Nicol. Garcias part. 9. de Beneficiis, cap. 2. per totum, & Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 60. numer. 13. & seqq. & part. 1. de Offic. Parochi. cap. 2. per totum. citans alios. His adde dicenda inferius numer. 148. & 149.

141 Resp. II. Dantur nihilò minùs quædam Ecclesiæ, etiam Parochiales, in quarum provisione, seu collatione, non requiritur forma examinis per Concursum. Ita communis; & patet inductione. Imprimis enim Concilium Tridentinum cit. Sess. 24. cap. 18. circa fin. de Reform. hinc excipit Ecclesias Parochiales pauperes, aut factiombus, distidiis, vel gravioribus rixis, aut tumultibus expositas, illis verbis: Si tamen aded exigui redditus dicte Parochiales fuerint, ut totius hujus examinationis operam non ferant; aut nemo sit, qui se examini quærat subficere; aut ob apertas factiones, seu distidia, que in aliquibus locis reperuntur, faciliè graviores rixæ, ac tumultus possint excitari: poterit Ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hæc formâ omisâ, privatim aliud examen, cæteris tamen, ut supra, servatis, adhibere. Hæc ibi.

Reiffenstuel Jus Can. Tom. III

Deinde à præfato Concursu exceptæ sunt Vicariæ perpetuæ Parochialium unitarum, seu incorporatarum aliis Ecclesiis, Monasteriis, Beneficiis, Collegiis, vel Locis piis, in quibus non propriè Parochus, sed Vicarius ponendus est. Hujusmodi quippe Vicariæ non conferuntur per Concursum; sed sollem ad nominationem, seu præsentationem illorum, quorum Dignitati, Ecclesiæ, vel Monasterio &c. Parochialis unita est, Vicarii, prævio Ordinarii examine, sunt instituenti. Ita Garcias cit. part. 9. cap. 2. n. 289. & seqq. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 60. n. 31. & 32. citans plurimos alios; & itaq[ue] communis. Sic quippe voluit, ac mandavit B. Pius V. in Constitut. 47. Ad exequendum. (quæ refertur Tomo 2. Bullarii Romani) ubi §. 4. sic loquitur: Volumus insuper, & ita mandamus, quòd dicti Vicarii perpetui non ad liberam Ordinarii electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum Ordinarii, seu eorum Vicariorum prævio examine, & approbatione deputentur. Hæc ibi.

Et specialiter de Regularibus loquendo, subjungit Pontifex ibid. §. 5. in hæc verba: Et si dicte Parochiales unitæ erunt Monasteriis Regularium Mendicantium, possunt à Superioribus dictorum Monasteriorum nominari ex ipsis Mendicantibus, quos si Ordinarii prævio examine per se, aut eorum Vicarios faciendò, idoneos ad curam animarum exercendam invenierint, & ita pro idoneis approbaverint, teneantur in Vicarios, ad nutum tamen Superiorum suorum amovibiles, deputare. Idemq[ue] etiam servetur in Regularibus Monachis tantum, dummodò in ea Parochiali, in qua unus ex Monachis fuerit, servatâ formâ prædictâ, Vicarius deputatus, habitum cum o saltem quatuor alii ex dictis Monachis. Hactenus Pontifex, apertè præmissis verbis determinandò, quòd in collatione Parochialium unitarum aliis Ecclesiis, Collegiis, Monasteriis &c. non requiritur forma examinis per Concursum. Nec immeritò: nam propter unionem perpetuò factam, Ecclesia Parochialis censetur accessoria alteri Ecclesiæ, Collegio, Monasterio &c. c. Extirpanda. 30. §. Qui verò. h. t. Atque per se nunquam censetur vacare, juxta Clem. un. §. Quidam etiam Ecclesias, de Excessib. Prælat. Sed assumit naturam, consuetudines & privilegia principalis, cui est annexa. Glossa cap. 1. §. Uniendo. Ne Sede vacante &c. Similique in ea tantum attenditur qualitas, & natura Beneficij principalis; non autem accessorij, arg. Clem. Per litteras. de Præbend. junctâ Reg. 42. Juris in 6. Accessorium naturam sequi congruit principalis: & amplius dicitur infra Tit. 12. Ut Ecclesiastica beneficia &c. §. 3. n. 44. 45. & seqq. Siquè Concilium Tridentinum, requirens formam Concursus in collatione Ecclesiarum Parochialium, non habet locum in Ecclesiis hujusmodi, postquam perpetuò & accessorio fuerint unitæ aliis Ecclesiis, Collegiis, Monasteriis &c. horumq[ue] naturam & qualitates assumpserunt.

Tertiò, Dignitates curam animarum habentes in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis, pro sua collatione non requirunt formam examinis per Concursum, à Concilio Tridentino cit. Sess. 24. cap. 18. de Reform. præscriptam. Siquidem Concilium lo. cit. non loquitur de Dignitatibus, Ecclesiis Collegiatis, neque harum expressam mentionem facit; prout fecit alibi, ubi voluit. Fagnanus c. Cùm sit ars. n. 19. & 22. ac seqq. de Ætat. & qualitat. &c. asserens, ita sensisse Sacram Congregationem Concilii, hujusq[ue] sententiam à Sanctissimo fuisse approbatam.

Similiter Beneficium curatum, quod verè Dignitas est, non esse conferendum per Concursum; tradit, atq[ue] decisum refert Barbosa cit. part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 60. n. 29. Idemq[ue] di-

cedendum de Dignitate, quæ Parochialem sibi perpetuò accessorie unitam habet. Barbosa lo. cit. n. 25. & seqq. plures similes casus allegans. Garcias d. part. 9. cap. 2. n. 193. referens Declarationem Sacræ Congregationis: & concordant dicta n. 142. & 143.

146 Quartò, in permutationibus Ecclesiarum Parochialium non requiritur examen per formam Concursus: non enim possunt conferri, nisi permutare voluntibus, Clem. un. de Rerum permutat. Imò, quòd in permutationibus Ecclesiarum Parochialium non requiritur aliquod examen, decitum esse à Sacra Congregatione, refert Garcias cit. cap. 2. n. 165. vers. Quarta. & Barbosa, ubi supra n. 23. Eà tamen adjectâ limitatione, ut si adit magna inæqualitas numeri Parochianorum, vel permutantes non fuissent examinati eo tempore, quo Parochiales Ecclesias adepti sunt, tunc examinandi sint, sed absque concursu: ac similiter, si fiat permutatio cum Beneficio simplici, tunc necessarium sit examen, sed absque Concursu.

147 Tacentur Ecclesiæ Parochiales, quæ sunt iurispatriatus Laicorum: nam has non conferri per Concursum, ultrò decrevit Concilium Tridentinum lo. cit. ètque jam dictum supra nu. 139. Tacenturque nonnulli alii casus, in quibus cessat necessitas examinis per formam Concursus, quorum universim enumerat novemdecim Barbosa d. part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 60. à n. 18. usque ad n. 39. Nam ceteri vel commode reducuntur ad unum præmissorum, vel sunt minus notabiles.

148 Pro coronide hujus Quæstionis sciendum est, quòd B. Pius V. Constituit. 33. quæ incipit, in conferendis (atque refertur Tom. 2. Bullarii Romani) auctoritate Apostolica, omnes & singulas collationes, provisiones præter & contra formam à Concilio Tridentino, præsertim in examine per Concursum faciendò, præscriptam factas, aut in futurum faciendas, nullas, irritas, ac nullas roboris vel momenti fore, & esse, nullumque provisus jus, aut titulum etiam coloratum possidendis præbere, & Parochiales Ecclesias hujusmodi, ut prius ante collationes hujusmodi vacabant, ex nunc vacare statuerit, decreverit, & declaraverit &c. ètque sic vacantes Sedes Apostolicæ dispositioni reservaverit: prout patebit legitibus citatam Constitutionem n. 3.

149 Sciendum tamen, quòd Gregorius XIII. (prout refert Garcias sæpè cit. part. 9. cap. 2. num. 4.) auditâ relatione Congregationis, responderit, dictam Constitutionem B. Pii V. non habere locum, nisi in his Diocæsiibus, in quibus fuit coacta Synodus Diocæsans; & in eis juxta formam cap. 18. Sess. 24. fuerunt deputati Examinatores.

§. VI.

De potestate conferendi Beneficia respectu Papæ, ejusque Legati: ubi & de Mandatis Apostolicis de providendo.

SUMMARIUM.

150 Papa de Jure communi habet potestatem conferendi omnia beneficia Ecclesiastica totius Mundi.

Horumque omnium plenaria dispositio pertinet ad Papam. Ibid.

151 Papa tribus potissimum modis solet conferre Beneficia. Et num. seqq.

152 I. Jure preventionis, concedendo cuiquam Gratiam expectativam.

153 Atque istud est Speciale in Papa.

154 II. Jure concursus.

155 Et quid, si tam Papa, quàm Collator ordinarius,

diversis contulerunt idem Beneficium?

156 Origo Concordatorum Germanicæ.

157 III. Jure devolutionis.

158 & 159. Potestas conferendi Beneficia vacantia devolvitur ab inferioribus, propter horum negligentiam, regulariter ad proximum Superiorem, & gradatim ad Papam: & cur?

160 Limitatur istud in nonnullis casibus. Et num. seqq.

161 Sic, ubi collatio Beneficii spectat ad Episcopum, isto negligente conferre, devolvitur collatio illius ad Capitulum, non ad Superiorem.

162 Restringendo istud ad Beneficia, quæ pertinent ad collationem Episcopi jure proprio; non ex privilegio, delegatione, seu jure devolutionis: & cur?

163 Si Canonice Ecclesiæ Cathedralis scienter eligant indignum in Episcopum, aut non servatâ debitâ formâ &c. electio non devolvitur ad proximum Superiorem, sed immediatè ad Papam.

164 Secus dicendum in Ecclesiis inferioribus.

165 Imò & prius limitatur, quando aliqui de Canonice Cathedralibus contraxerunt electioni indigni in Episcopum &c.

166 Ab Episcopo exempto non devolvitur potestas conferendi Beneficia ad Archiepiscopum, sed immediatè ad Papam.

167 Mandatum Apostolicum super collatione Beneficiorum, quid, & quotuplex? Et n. seqq. Vocatur alio nomine, Mandatum de providendo. Ibid.

168 Continet quandoque Gratiam factam, quandoque Gratiam faciendam: quandoque dicitur Gratia expectativa.

169 Mandata Apostolica de providendo quædam dantur in Forma pauperum seu in Forma communi: & an hæc sint Rescripta justitiæ, vel gratiæ?

170 Alia expediuntur in Forma, Dignum: vel, Rationi congruit: vel in Forma gratuita: & quæ?

171 Huc accedit Motus proprius.

172 Litteræ Apostolicæ super Beneficiis litigiosis, aliæ dicuntur, Si alteri; aliæ, Si neutri; aliæ, Si nulli: & quæ?

173 Litteræ Apostolicæ, Perinde valere, quæ?

174 Legatus Sedis Apostolicæ an possit conferre Beneficia vacantia in sua Provincia, vel imposterum vacatura suæ collationi reservare? Remissive.

Quæritur I. An, & quibus modis Papa possit, 150

ac soleat conferre beneficia Ecclesiastica? Resp. I. Papa, sive Pontifex Romanus, de Jure communi habet potestatem conferendi omnia Beneficia totius Mundi. Ita communis Canonistarum, & Theologorum; atque habetur expressum cap. 2. de Præbend. in 6. illis verbis: Licet Ecclesiarum, Personatum, Dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere; ita quòd non solum ipsa, cum vacant, potest de jure conferre, verum etiam jus in ipsis tribuere vacaturis &c. Concordat Clem. 1. §. fin. Ut lite pendente &c. ubi pariter ad Romanum Pontificem Ecclesiarum, Personatum, Dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum plena & libera dispositio, ex sue potestatis plenitudine, noscitur pertinere. Unde receptum dictum Glossæ in c. Cum nullus. §. In eadem, de Temporib. Ordinat. in 6. quòd Papa sit Ordinarius Ordinarius: habens concurrentem potestatem

§. VI. De potestate conferendi Beneficia respectu &c.

tem cum omnibus Ordinariis, can. Cuncta per mundum. 9. q. 3. & cap. ult. de Foro compet. cum similibus.

151 Resp. II. Tribus potissimum modis Papa solet conferre Beneficia: videlicet, jure preventionis, jure concursus, & jure devolutionis. Ita Rebuffus in Praxi Beneficiorum. tit. de Devolutionib. n. 46. 47. & seqq. Layman lib. 4. Theolog. Moral. tract. 2. cap. 10. Sannig h. t. cap. 5. n. 4. & alii. Et quidem

152 Jure preventionis id contingit, quando Papa cuiquam confert Gratiam expectativam ad beneficium primò vacaturum: ut cit. cap. 2. de Præbend. in 6. ubi dicitur, quòd Romanus Pontifex possit etiam jus in ipsis (Beneficiis) tribuere vacaturis: prout & factum esse, legitur in c. Dudum. 14. h. t. in 6. cum similibus. Cæterum ad præfatum modum conferendi Beneficia jure preventionis, reducuntur diversæ Reservationes collationis certorum Beneficiorum, quæ tum in Jure communi, tum in Regulis Cancellariæ, aliisque Constitutionibus Apostolicis continentur: prout infra §. 13. & 15. & §. 16. per totum, ex professo dicitur.

153 Atque istud, seu posse conferre beneficium Ecclesiasticum jure preventionis, est speciale privilegium Papæ: competens ob plenitudinem suæ potestatis: neque alteri cuiquam concessum est, Beneficium, seu Præbendam nondum vacantem certæ personæ promittere, & ad eam jus dare, c. Relatum. & c. Ex tenore. de Consecratione Præbend. & c. Deservenda. eod. in 6. juncto Concilio Tridentino Sess. 24. cap. 19. de Reform.

154 Jure concursus Papa confert Beneficium, quando illud desit concurrente cum aliis Collatoribus præter defunctum ipsorum: hoc est, quando id eò alicui providet de Beneficio, eò quòd concurrentem cum quolibet Ordinario, seu Collatore inferiore, potestatem conferendi habeat, per Jura num. 150. allegata. Unde Summus Pontifex potest qualibet totius Orbis beneficia Ecclesiastica pro suæ potestatis plenitudine conferre, etiam si nulla interveniat negligentia inferioris Collatoris ordinarii. Quamvis enim huic Papa potestatem conferendi Beneficia dedit, sibi tamen majorem reservavit. c. Dudum. 14. §. Nos igitur. de Præbend. in 6. ubi Pontifex sic loquitur: Etsi memorato Episcopo prædictam concessimus potestatem, penes Nos tamen nihilominus remansit major.

155 Unde sciendum conformiter c. Si à Sede. 31. de Præbend. in 6. quòd inter Papam, & inferiores Collatores ordinarios, detur locus preventionis; ita, ut qui prior tempore contulit, ejus collatio rata sit, juxta Reg. 54. Jur. in 6. cum concordantiis. Quòd si idem Beneficium à Papa uni, & ab ordinario Collatore alteri eodem die sit collatum, nec appareat, quæ collatio fuerit primò facta, erit potior conditio possidentis: aut si neuter possideat, præfertur is, cui Papa, vel ejus Legatus contulit Beneficium; idque propter conferentis amplius prærogativam. Textus est in cit. c. Si à Sede. h. t. in 6.

156 Quia verò occasione horum frequentes olim in Germania suboriebantur controversiæ, seu difficultates, dum Papa uni, & Collator ordinarius, adhuc ignarus collationis Papalis, idem Beneficium contulit alteri: hinc, ad evitandas ultiores ejusmodi difficultates, inter Nicolaum Papam V. ex una, & Fridericum Imperatorem, inclyatimque Nationem Germanicam ex altera partibus, 1447. erecta sunt Concordata Germanicæ, certa Beneficia collationi Sedis Apostolicæ reservantia, cætera verò liberæ collationi ordinariarum Collatorum relinquenda; quæ referuntur Tom. 1. Bullarii Romani, Constitur. 1. dicti Pontificis, quæ incipit, Ad sacram Petri Sedem. atque infra §. 18. allegantur.

Jure devolutionis tandem Beneficia Ecclesiastica conferuntur à Papa, quando propter negligentiam Collatorum inferiorum, intra debitum tempus Beneficium vacans non conferentium, vel ob moram eligendi ad illud, talis potestas ab inferioribus devolvitur ad Summum Pontificem. Quod ut melius intelligatur,

Quæritur II. An, & qualiter potestas conferendi Beneficia vacantia, devolvatur ab inferioribus ad Papam? Resp. I. Certum est, quòd propter negligentiam conferendi, vel moram eligendi, talis potestas ab inferioribus devolvitur ad Summum Pontificem. Patet enim hoc ex c. Cum accessissent. 8. §. 1. de Constitur. ubi Pontifex sic loquitur: Cum Canonici nostris auribus intimassent, quòd Primitivatus in Tullens. Ecclesia tanto tempore vacavisset, quòd ad manus nostras illius Personatus esset donato devoluta. Concordat c. Quamquam. 18. de Election. in 6. ibi: Non ad dictum Superiorem, sed ad Romanum Pontificem potestas eadem devolvitur.

Accedit ratio. Quia juxta Concilium Generale, relatum c. Ne pro defectu. 41. de Election. Ecclesiæ Cathedralis, & Regulares, ultra tres menses vacare, seu Prælatò carere non debent: alia verò Beneficia inferiora intra sex menses, à die notæ vacationis computandos, conferenda sunt, juxta Concilium Lateranense, relatum in c. Nulla de Consecratione. Præbend. Et hinc fit, quòd si ordinarii Electores, vel Collatores, aliquem intra præfatum tempus eligere, aut ei Beneficium vacans conferre negligant, seu eligant, & conferant illud indigno: ad evitandum damnificationem Ecclesiarum, ex diuturniori vacatura impendentem, similitè castigandum negligentiam Electorum, seu Collatorum ordinariarum, jure eligendi, sive conferendi Beneficium, regulariter devolvatur ad proximum Superiorem, v. g. ad Episcopum, qui habebit aliud trimestre, vel semestris: & Episcopo etiam negligente intra tale tempus conferre, devolvetur jus eligendi, vel conferendi ad Archiepiscopum; & ab hoc ad Patriarcham, cui subest; & tandem gradatim ad Summum Pontificem, per Jura proximè allegata: atque amplius declarat Abbas in c. Nulla Ecclesiastica. n. 1. & 7. de Consecratione. Præbend. ètque communitis aliorum. Et tunc censetur Papa ejusmodi Beneficium vacans, conferre jure devolutionis.

160 Resp. II. Etsi propter negligentiam inferiorum Collatorum, vel Electorum, intra debitum tempus Ecclesiæ, vel Beneficio vacanti non providentium, regulariter jus eligendi, vel conferendi devolvatur ad proximum Superiorem, & gradatim ad Summum Pontificem; hoc ipsum tamen fallit in nonnullis casibus, in quibus vel ad inferiorem, nempe ab Episcopo ad Capitulum, vel immediatè ad Papam, talis potestas devolvitur. Ita communis; & patet inductione.

Sic imprimis, quando ad Episcopum spectat collatio Beneficii, & ipse ultra debitum tempus conferre distulit, tunc non ad Superiorem, sed ad Capitulum, devolvitur collatio illius Beneficii; prout habetur c. Nulla. 2. §. fin. de Consecratione. Præbend. Idque meritò statutum fuit propter communionem, quæ est inter Episcopum & Capitulum, tanquam inter caput & membra ejusdem corporis mystici, c. Novit. 4. De his que sunt à Prælati. &c. & c. Requisisti. §. Secus autem. de Testamur.

Istud tamen restringi debet ad Beneficia, quæ pertinent ad collationem Episcopi jure proprio; non autem ex privilegio, delegatione, seu jure devolutionis ob negligentiam inferioris Collatoris. In his enim casibus non fit devolutio ab Episcopo ad Capitulum, sed ad proximum Superiorem; uti notat Abbas. c. Nulla Ecclesiastica. n. 6. de Consecratione.

Præbend. Rebuffus in Praxi Benefic. tit. de Devolutionibus. num. 22. Garcias part. 10. de Beneficiis. cap. 3. num. 34. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 126. num. 78. & alii. Nec immerito: quia in his non est tanta communio inter Episcopum & Capitulum, sicut in spectantibus ad Episcopum jure proprio; & que jam dictum supra Lib. I. Tit. 10. De suppleta negligentia Prælatorum. §. 2. nu. 22.

163 Deinde fallit superius data regula, atque immediatè ad Papam devolvitur potestas eligendi, quando Canonici Ecclesiæ Cathedralis scienter eligunt indignum in Episcopum, sicque ipso jure privati existunt potestate eligendi: vel quando eorum electio non servatur. Tunc enim novi Episcopi electio, non ad Metropolitanum, sed statim ad Romanum Pontificem devolvitur: ut est textus expressus in c. *Quamquam*. 18. de Election. in 6.

164 Solum nota, quod istud duntaxat procedat in Ecclesia Cathedrali, seu in electione Episcopi. Nam, ut in cit. c. *Quamquam*. in fin. de Election. in 6. expressis verbis subjungitur: *Secus in inferioribus Ecclesiis est dicendum*. Unde in istis casibus, vel neglecta electione, seu collatione Beneficii, etiamnum fit devolutio gradatim ad proximum Superiorem.

165 Quin etiam in priori casu notanda est singularis limitatio: videlicet, nisi pars Canonorum, etiam minor, contradixerit. Nam quando aliqui de Capitulo, quamvis pauciores, contradixerint electioni indigni in Episcopum; tunc penes illos pauciores remanet jus eligendi, c. *Grautum*. 2. de Postulat. Prælat. junctâ Glossâ v. *Pauciores*. & Abbate ibid. n. 5. Layman lib. 4. Theolog. Moral. tract. 2. cap. 11. n. 6. estque jam dictum supra Lib. I. Tit. 6. De Electione. §. 11. n. 160. & 161. Ac proinde tunc non devolvitur ad Papam potestas eligendi Episcopum.

166 Fallit ulterius dicta regula in Episcopo exempto. Nam, si Episcopus exemptus neglexerit intra debitum tempus conferre Beneficium, non devolvitur potestas istud conferendi ad Archiepiscopum; sed immediate ad Summum Pontificem, arg. c. *Licet*. de Supple. negligent. Prælat. ac notat Abbas cit. c. *Nulla Ecclesiastica*. num. 7. de Concessio. Præbend. Rebuffus in Praxi Benefic. tit. de Devolutionibus. num. 36. post Romanum Consil. 361. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 126. nu. 79. Garcias part. 10. de Beneficiis, cap. 3. num. 3. citans Rotam in una Toletana Portionis. 9. Decembris. 1559. coram Illust. Mantica. Pirhing tit. de Concessio. Præbend. nu. 34. Nec immerito: quia ille, qui non est superior (prout Archiepiscopus non est superior respectu Episcopi exempti) non potest supplere neglectum alterius: ut cit. c. *Licet*. & c. *Sicut de Supple. negligent. Prælat.* Exceptio Capitulo, quod supplet negligentiam Episcopi, in collatione Beneficiorum committitur: non quidem ratione superioritatis (talem enim non habet respectu Episcopi) sed propter communionem, quæ est inter Episcopum & Capitulum, juxta paulo superius dicta; & notat Abbas lo. cit. numer. 8. Quin imò nonnulli volunt, ut Barbosa, & Pirhing, ubi supra, quod in casu Episcopi exempti, & negligentis conferre intra debitum tempus Beneficia, potestas ista conferendi non ad Capitulum, sed immediatè ad Papam devolvatur.

167 Queritur III. Quid, & quotplex sit Mandatum Apostolicum super collatione Beneficiorum? Resp. I. Mandatum Apostolicum, prout impræsentiarum de eo agitur, est omne Rescriptum, quo Summus Pontifex jubet beneficium Ecclesiasticum cuiquam conferri. Textus est in c. *Mandatum*. 38.

de Rescript. ac notat Azorius part. 2. lib. 6. cap. 32. in princip. & Pirhing h. t. n. 234. Atque istud alio nomine appellatur Mandatum Apostolicum de providendo, utpote vi cujus mandat Papa cuiquam provideri de beneficio.

Porrò istud potest variè fieri. Nam quandoque Pontifex actu confert cuiquam Beneficium, & solum mandat alteri, ut suam collationem exequatur: quandoque autem Papa non confert Beneficium, sed alteri committit potestatem, datque mandatum id conferendi, si expedire judicaverit, vel si Supplicans videbitur dignus &c. Si igitur per Sedem Apostolicam cuiquam jam collatum est beneficium, ac vi talis Mandati Apostolici solum deputatur Executor, tunc illud censetur continere *Gratiam factam*: neque expirat morte Papæ concedentis, c. *Si super gratia*. 9. de Offic. Delegat. in 6. Si vero nondum Papa contulit beneficium, sed istud primò conferri mandat stante hæc, vel illâ conditione, tunc Mandatum ejusmodi censetur continere *Gratiam faciendam*: qualis expirat morte concedentis, c. *Si cui nulla*. 36. §. fin. de Præbend. in 6. estque jam dictum supra Lib. I. Tit. 3. de Rescriptis. §. 10. n. 250. & seqq. Quòd si tandem beneficium Ecclesiasticum, super quo Papa dedit cuiquam Mandatum de providendo, necdum vacat, sed primò impossibilem est vacaturum; tunc istud censetur continere *Gratiam expectativam*, imò & tali nomine passim appellatur.

Resp. II. Mandata Apostolica, seu Litteræ Beneficiales, quæ expediuntur pro beneficiis vacantibus, sunt in multiplici differentia. Imprimis enim quedam dantur in *Forma pauperum*, seu in *Forma communi*, quibus nimirum alicui, paupertate ipsius allegatâ, de Beneficio per Papam providetur. Et hujusmodi Litteræ Beneficiales, juxta nonnullos (quos sequitur Pirhing h. t. n. 234.) dicuntur *Rescripta iustitiae*: quia videlicet æquum & justum est, ut pauperi Clerico, & ad Ordines promotò, Beneficium conferatur, gratis tamen ac liberaliter. Verius tamen est, eas censerè Litteras gratiosas, haud obstante, quòd procedant de iustitia: juxta Glossam in *Extravag. Sedes Joannis XXII. §. Gratia. de Concessio. Præbend. & Rebuffus in Praxi Benefic. tit. de Rescripto in Forma communi*. n. 6.

Aliæ Litteræ Beneficiales dantur nullâ allegatâ paupertate supplicantis, sicque recensentur inter Rescripta gratiæ. Et hæc vel expediuntur in *Forma Dignum*: dum videlicet Pontifex litteras suas sic ordiens, *Dignum arbitramur*, mandat, ut alicui beneficium conferatur, si post diligentem examinationem dignus, seu idoneus reperitur. Vel vocantur, *Rationi congruè*, quia tale initium habent: quales solent dari, quando Papa successore expediat litteras super collatione beneficiorum, quas ejus Antecessor voluit, sed morte præventus non potuit expedire. Azorius cit. cap. 32. quæst. 5. vers. *Aliæ litteræ appellantur*. Vel dantur in *Forma gratiosa*, quando nimirum supponitur, provisiùm ad beneficium obtinendum dignum esse, atque idoneum.

Huc accedit *Motu proprio*, per quem intelliguntur Litteræ Apostolicæ, in quibus hæc clausula, *Motu proprio*, inserta habetur; juxta textum c. *Si motu proprio*. 23. de Præbend. in 6. Atque hujusmodi clausula tollit vitium subreptionis, ex taciturnitate veri alioquin de jure exprimiendi proveniens: adeò, ut valeat provisiò de beneficio cuiquam facta per Papam *Motu proprio*, etiam si non habeatur mentio de prioribus beneficiis per ipsum antea obtentis; prout cit. c. *Si motu proprio*, expresse deciditur.

Resp. III. Insuper Litteræ Apostolicæ super Beneficiis litigiosis obtentæ variis nominibus nuncupantur; idque fit ratione diversarum clausularum, quas continet, puta Litteræ, vel Rescripta; *Si alteri*, *Si*

Si neutri, *Si nulli*. Et quidem; ubi inter duos litigantibus super beneficio Ecclesiastico, alter illorum à Papa litteras impetrat, ut sibi beneficium conferatur, eâ conditione, si alteri litiganti jus in beneficio quæsitum non sit, dicuntur *Litteræ, Si alteri*. Quòd si vero duobus litigantibus, tertius à Papa impetrat litteras, eâ conditione, ut si neutri litigantium jus competat, sibi beneficium conferatur: tunc is dicitur impetrasse *Litteras, Si neutri*. Si tandem tres litigent de beneficio, & alius à Papa litteras obtineat, ut si nulli litigantium sit jus in beneficio acquisitum, istud ipsi conferatur, tunc appellantur *Litteræ, Si nulli*.

173 His accedunt *Litteræ Apostolicæ, Perinde valere*: quales dantur, quando Papa gratiam à se concessam, v. g. factam collationem beneficii, sed aliqua ex causa irritam (v. g. ob taciturnitatem beneficii antea obtenti) valere decernit. Barbosa tract. de Clausulis, Claus. 100. n. 4. ac seqq. citans alios; atque subjungens, quòd hujusmodi Litteræ retrorahantur, & efficiant concessionem valere, quæ subreptitia fuerat. Cætera, quæ concernunt Mandata Apostolica de providendo, sunt intelligenda conformiter dictis Lib. I. Tit. 3. De Rescriptis, per totum: nam etiam ipsa nomine Rescriptorum veniunt.

174 Queritur III. Utrum Legatus Sedis Apostolicæ, puta, Legatus à Latere, vel etiam Nuntius Apostolicus, possit conferre Beneficia, quæ in Provincia sibi decreta tempore suæ Legationis vacant: aut impofterum vacatura, suæ valeat reservare collationi? Resp. De hoc ex professo jam dictum est supra Lib. I. Tit. 30. De Officio Legati, n. 31. & 33. ac seqq. Ibi videatur.

§. VII.

De potestate conferendi Beneficia respectu Episcopi, Capituli Sede vacante, Vicarii Generalis, & Collegii.

S U M M A R I U M.

- 175 Post Papam ordinarius collator Beneficiorum suæ Diocesis, est Episcopus.
- 176 Et quid, si aliquis Episcopus fundat Beneficium in Diocesi alterius?
- 177 Episcopus habet fundatam intentionem super institutione, & destitutione Clericorum, in Beneficiis suæ Diocesis.
- 178 Exceptis Beneficiis clericis Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiarum, atque Abbatibus &c.
- 179 Capitulum Sede vacante, an possit conferre Beneficium? Et num. seqq.
- 180 Neguit conferre Beneficia libera, quorum collatio pertinet ad solum Episcopum. Ibid.
- 181 Collatio beneficii Ecclesiastici est quedam liberalitas, & donatio.
- 182 Neque Capitulum succedit Episcopo in presentatione; vel electione ad Beneficia, quando hæc pertinet ad Episcopum, dum vivit.
- 183 Capitulum Episcopo negligente confert Beneficia, non verò Sede vacante: & quæ disparitas?
- 184 Periculo Ecclesiarum vacantium, quomodo tunc fit subveniendum.
- 185 Beneficia devoluta ad Episcopum ratione negligentie, vel delicti inferioris, non confertur Capitulum Sede vacante.
- 186 Solvitur instantia.
- 187 Quando collatio beneficii communiter pertinet ad Episcopum & Capitulum, mortuo Episcopo (vel effectò inhabili) confertur illud Capitulum.
- 188 Et vicissim Capitulo reddito inhabili ad conferendum, confertur solum Episcopo.

- 188 Secus, quando collatio beneficii spectat ad solum Episcopum; ita tamen, ut is teneatur requirere consilium, vel consensum Capituli.
- 189 Capitulum Sede vacante potest confirmare, aut infirmare electiones, ac præsentatos à patronis ad Beneficia instituire.
- 190 Disparitas inter potestatem instituendi in Beneficiis præsentatos, atque confirmandi electos; & inter collationem liberam Beneficii.
- 191 Confirmatio, & institutio, sunt jurisdictionis necessariae: non sic libera collatio. Ibid.
- 192 Capitulum Sede vacante, an possit recipere resignationes Beneficiorum? Et num. seqq.
- 193 Sententia affirmativa, ejusque fundamentum refertur. Ibid.
- 194 Negativa, hujusque rationes adducuntur.
- 195 Solvitur fundamentum affirmativæ.
- 196 A diversis non valet illatio. Ibid.
- 197 Refertur sententia media, procedens sub distinctione.
- 198 Capitulum Sede vacante potest recipere resignationes Beneficiorum, quorum collatio spectat ad Capitulum. &c.
- 199 Item resignationes ex causa necessaria; non autem libere ac simpliciter.
- 200 Vicarius Generalis nequit conferre Beneficia ad collationem Episcopi pertinentia, nisi ipsi specialiter fuerit concessum.
- 201 Potest tamen à Patronis præsentatos, vi mandati generalis, in Beneficiis instituire.
- 202 Si jus præsentandi spectat ad Collegium, præsentabit Prælati de consensu Capituli: alioquin, iudicium hujus consensu, irrita est præsentatio.
- 203 Istud tamen limitatur in certis casibus.
- 204 In pertinentibus ad Prælatum & Collegium simul, sufficit tacitus consensus Collegii. Ibid.

Queritur I. An, & qualiter Episcopo competat collatio Beneficiorum? Resp. I. Post Papam ordinarius Collator Beneficiorum in sua Diocesi, est Episcopus. Ita communis: & patet ex can. Regenda. 10. q. 1. & can. Omnes Basilicæ. 16. q. 7. & can. Nullus omnino. ead. caus. 16. q. 7. ubi Sanctis Canonibus constitutum dicitur, ut animarum cura in Episcopi judicio, & potestate permaneat. Concordat cap. 1. de Capell. Monac. & c. Conquerente. 16. §. Nos autem. de Offic. Ordinar. & c. Cum ex instructo. 12. §. fin. de Hæretic. In quo posteriori loco sic habetur: *Ad cuius (Episcopi videlicet) Officium tam institutio, quam destitutio Sacerdotum, noscitur pertinere.*

His adde, quòd institutio Sacerdotum pertinet ad Episcopum loci etiam in eo casu, quo quis Episcoporum in alienæ Diocesis territorio Ecclesiam ædificavit. Siquidem omnis Ecclesiæ ipsius gubernatio ad eum (Episcopum) in cuius Civitatis territorio Ecclesia fuerit ædificata, pertinet, juxta textum expressum can. Si quis Episcoporum. 16. quæst. 5. Episcopo autem ædificatori competit solum jus patronatus respectu Ecclesiæ à se ædificatæ, nempe facultas præsentandi idoneum Clericum ad ipsam: sicuti istud competit unicuique Patrono privato. Abbas c. Cum Ecclesia Vulturana. 31. num. 8. de Election.

Resp. II. Ad eò ad Episcopum loci de Jure communi spectat collatio Beneficiorum, ut si fundatam intentionem habeat super institutione, & destitutione Sacerdotum, aliorumque Clericorum in Beneficiis suæ Diocesis: & si alius istud sibi vindicet, probare debeat, jure speciali id sibi competere. Ita habetur per Jura proximè allegata, ex quibus patet, collationem Beneficiorum suæ Diocesis, quantum